

29. *Laxitas Fibrae* vocatur ea cohaesio partium (21.) inter se, quae parva vi potest mutari ita, ut fiat se ipsa longior; unde patet, hanc esse debilitatis (24.) speciem, & flexibilitatem inde pendere; adeoque haec omnia clare ex dictis (21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.) intelligi, ut & imminutam Elasticitatem. Namque vitrum corpus fragilissimum, arte ductum in filamenta subtiliora araneae filo, cohaeret, estque flexible quaquaversum minima vi in omnes spiras, absque ruptura. Crescit pro subtilitate flexilitas. Ac. reg. sc. 1713. hist. 11.

30. Quin ex iisdem etiam respondeatur ad haec quaesita: Cur aquosa, & pinguia alimenta dant fibras debiles? Cur frigidis, junioribus, quiescentibus, crescentibusque debiles? Cur terrestria, austeraque dant fibras fortes? Cur calidis, exercitatisque fortes? Cur elasticitas robur concomitatur?

### MORBI FIBRAE RIGIDAE, ET ELASTICAE.

31. *Rigiditas fibrae* nimia est illa adunatio partium minimarum (21.), quae tam valide faciat eas cohaerere, ut non cedant illi actioni fluidorum, quae superare debet hanc resistentiam, ut maneat Sanitas.

A 4

32.

32. Haec (31.) sequitur eas causas, quas requirit sanatio fibrae debilis, (28.) si diu, & nimis perseverant.

33. Nata (31.) vero facit vasa, quae ex his fiunt, minus flexibilia, angustiora, breviora, liquidorum motui nimis resistentia, & quae hinc sequuntur; vid. (50. 51. 52. 53.)

34. Ex quibus (31. 32. 33.) ipsis internoscitur id malum, (31.) simulque praevidentur inde secuturi effectus, (33.) neque latet Curatio.

35. Haec enim efficitur 1. cibo & potu aquosis, lenibusque, sero lactis inprimis, oleribus mollissimis, farinosis dilutis, nec fermentatis. 2. quiete in aere humido frigidiusculo, cum somno pleniore. 3. remediis aquosis externis, internisque, tepide applicatis vel assumptis, insulsis, levissimis & blandissimis oleosis, similiter adhibitis.

36. Hinc elasticitas nimia intelligitur, curaturque, quippe rigiditatis (31.) ut plurimum comes, & effectus.

37. Cur pueris, foeminis, otiosis laxitas? contra vero adultis, viris, exercitatis, fibrarum, adeoque omnium solidarum partium rigiditas? & solutarum valida contractio?

MOR-